

98. Augustino adstipulatur ipsa etiam scriptura; Psal. 19, 13. Delicta quis intelligit: ab occultis munda me Domine, & Psal. 23. 5. Dixi, Confitebor adversum me iniquitatem meam: & tu remisisti impietatem peccatorum meorum.

99. Quibus ita constitutis, merito Confessionem auricularem qualem Romanenses Conscientiarum tortores describunt, explodimus, explosam ad orcum relegamus: statuentes interim cum protestantibus nostris, Generalem peccatorum Confessionem cujus usus in Ecclesiis nostris, hodieque obtinet, recte observari & posse & debere.

100. Quin imò & illud largimur, posse etiam in specie quorundam peccatorum à perturbatis Conscientiis confessionem edicorum nimirum, quorum recordatio animum subinde divexat, & firmarum Consolationum radices incidit.

101. Neque tamen istam Confessionem vel Sacramentalem, vel absolutæ necessitatis esse, vel singulos & universos ad usum illius astringi arbitramur: siquidem expresso scripturarum testimonio hac in parte prorsus destituimur: Sed pro libertate usus arbitrarij, ab Ecclesia hæcenus eam servatam fuisse, ac deinceps etiam servandam esse, statuimus.

102. Causa facti hujus est multiplex: 1. private absolutionis ingēs utilitas in gravaminibus cōscientie sedādis. 2. Nota discriminis, quib⁹ inter

oves